

*institutiones admittit, illas dumtaxat, quæ nec rectæ Fidei, nec probis moribus obviant, sed nec Sedis Romanæ decretis ad modicum quid resultant; quin potius adversarios, idest, hæreticos, potenter impugnant. Ergo Regulas, quas Græci à Sexta Synodo perhibent editas, ita in hac Synodo, Principalis Sedes admittit, ut nullatenus ex his illæ recipiantur, quæ prioribus Canonibus, vel Decretis Sanctorum hujus Sedis Pontificum, aut certe bonis moribus, inveniuntur adversæ.*

Quis autem nescit, Orientalem Ecclesiam, ab ipso sui exortu usque in præsentem diem, à Schismaticis atque Hæreticis exagitata, oppugnata, ac fere oppressa, non tamen fuisse à Deo penitus repulsam? adeo ut de illa id vere dici possit, quod Apostolus <sup>1</sup> de Israëliti populi Reliquiis scripsit: *Non repulit Deus plebem suam, quam præscivit. An nescitis in Elia quid dicit Scriptura; quemadmodum <sup>2</sup> interpellat Deum*

1 Rom. II. 27

2 3. Reg. 19:18.